

confunde cum priore, & probe misce. Pone in vitro ad digerendum per mensem suum, donec syrupi fiat consistentia. Tunc immisce liquoris (solutionis) perlarum semunciam, spiritus vitrioli rectificati, tinctura croci, singula semisrupula, aurivita nostrae descriptionis scrupulum, olei piperis, charyophyllorum stillat. an. semidrachmam, ol. nucis moschata stillat. cum pinguedine pura pulli caprini in balsamum redacti, semunciam; digere ad consistentiam opiata, & in vitro serua, ad solem vel fornacem aliquandiu fermentans, ut vis opij magis refrenetur. Si placet, in usu suo potes addere calcem auri, vel argenti solubilem, item ambram, moschum, &c.

Est & interni & externi usus praesertim cum directorijs: veluti ad epilepsiam foris applicetur capiti cum minio nativo, & oleo succini: intus cum vitrioli spiritu: ad cephalalgiam misceatur unguento de alabastro, adiecto magnetis, vel ophite puluere; (in doloribus oculorum & aurium vix habet locum, sed tamen sicubi necessitas cogit, ut in calida causa (quomodo Galenus in aurium dolore prescripsit trochiscos ex opio & castorio) parua quantitas cum aq. rosa. & vng. de lapide calaminari misceri potest & oculis applicari; in otalgia vero ol. ruta & aq. carduibened. adijcitur.) In colica foris admonetur cum Zibetha, & paucoprecipitato, intus datur cum decocto veronica & chamameli ex maluatico. In fluoribus alui, sicubi tempus admonet, ventri accommodatur cum paucoprecipitato immisto; & idem fit etiam in arderibus, medicè tamen. (Nam improvidum usum ubique damno.) In podagra & chiragra &c. addatur aliquid de sublimato vitriolato, & magnete adipe vulpino vel similibus, aut etiam succo verbena, aut aqua incocti stybij & chamameli exceptis, & foris admotis. Ad uteri dolores & infirmitatem cum succo roris marini valet; ad inhibendos catarrhos potest esse pro diacodio, si fiat ex eo pil. hypoglottis cum bolo armeno, extracto scordij & saccharo crystallino, vel penidiarum. In hypercatharsi eximium est cum vino cydoniorum: in ardore stomachi datur succo rhibes: in dolore ventriculi foris applicatur cum succo menthae, vel assumitur exiguum quid cum chamameli ex maluatico decocto, sicubi id convenit. Cetera erunt Medici prudentis, quemadmodum in dolore dentium potest etiam ipsi denti applicari per ceram, &c. quin usus est ut philonij etiam in causa frigida, sed cum purgatione si est humor.

Usus reliquorum quod attinet; Crato sensit communem esse cum philonijs. Alij epilepticis prescribunt; benefacit doloribus colicis & ventriculi prudenter datum, quomodo Andernacus suum dosi granorum trium & forma pilulari praebet. Zuingerus inde nepenthes vocavit, quod doloribus esset solatio. In ardore nitroso stomachi ex bile Camerarius scribebat esse ἐξαιγέλον, quanquam & vulgare laudanum è barba capri conferre tradatur. In delirijs phreneticorum, & vigilijs caeso laborantium dederunt aliqui, sicut aquam opiatam Helidai. Sed imperiti eodem medicamento induxerunt somnos lethales. Gwerthaus catholicum scripsit ad omnium morborum (acutorum) impetus frenandos, praesertim calidorum.

rum.